



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos
Distributa

Illsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditaito CCCLXXVII. Opulentus ac Nobilis Adolescens Christum sequi
recusat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

MEDITATIO CCCLXXVII

*Opulentus ac Nobilis Adoleſcens
Chriſtum ſequi recuſat.*

Matth. 19. v. 16. Marc. 10. v. 17. Luc. 18. v. 18.

PUNCTUM I. *Et cùm egreſſus eſſet (JESVS) in viam
procurrens quidam (quem Matthæus dicit fuiſſe Ado-
leſcentem: Lucas etiam ait, fuiſſe Principem, id eſt,
Reguli prædivitis Filium) genu flexo ante eum, rogabat
eum: Magiſter bone, quid faciam, ut Vitam Æternam per-
cipiam? Marc. 10. v. 17. Quantum hic habuit deſide-
rium conſequendæ Salutis Æternæ! Currit ad Chri-
ſtum, humiliat ſe genuflexo, cum illo deliberat de
Statu, quomodo vitam ſuam iſtituat. Sed quia non
plenè fuit indifferens ad deſerendas divitias ſuas,
parùm profecit: abiit enim, qualis venit; quia ille
voluit mordicùs tenere, ac DEVM potiùs trahere ad
votum proprium, quàm relicto impedimento per
meliorem Statum ad illum tendere. Non ſic ulli rei
creatæ voluntas tua adhæreat; ſed potiùs propter
Vitam Æternam paratus ſis omne impedimentum
removeſe, ac quidquid ad illam aptius eſt, animo in-
differenti amplecti. Duplex enim Classis hominum
eſt, quæ Vitam Æternam nunquam percipiet; Pri-
ma eſt, quæ quidem illius magno deſiderio tenetur;
ſed Media nulla vult adhibere. Altera vult quidem
etiam adhibere Media, ut prædictus Adoleſcens; ſed
ea duntaxat, quæ ſibi placent, non quæ DEO: cum
tamen Mediorum conſtitutio, & deſignatio ab illo
facienda ſit, qui optimè novit, quid unicuique ad Sa-
lutem*

litem maximè expediat, & quid eam impediatur. Tertia itaque Classis hominum est, Vitam Æternam certò, ut ex sequentibus constabit, perceptura, quæ & Divina Præcepta constanter studet observare, & DEO ad Perfectiorem Vitæ Statum Vocanti parata est obedire, omniâque impedimenta abijcere. Unde ulterius perpende, quid Christus prædicto Adolescenti responderit, & quid de negotio Salutis senserit.

PUNCT. II. **JESVS** autem dixit ei; quid me dicis Bonum? Nemo Bonus, nisi unus **DEVS**. Præcepta nōsti. Marc. 10. v. 18. Tunc interrogans Adolescens Dixit illi: *Quæ?* **JESVS** autem dixit: *Non homicidium facies: non adulterabis: non facies furtum: non falsum testimonium dices: honora Patrem tuum & Matrem tuam: & diliges Proximum tuum, sicut te ipsum. Dicit illi adolescens: Omnia hæc custodivi à juventute mea: Quid adhuc mihi deest?* Matth. 19. v. 18. In hoc mutuo colloquio proponitur tibi imitanda Christi respondentis Humilitas, & adolescentis interrogantis Integritas. Si enim Christus tantum pro homine habitus ab Adolescente, hoc ipso etiam nihil Boni sibi attribui voluit; quamvis revera ei ut DEO competeret titulus Boni Magistri; quantò magis nos homines peccatores nihil Boni nobis debemus attribuere, aut ab alijs velle attribui? Interea tamen non debemus intermittere ullum bonum, ut & ipsi custodiamus omnia Præcepta: quorum custodiam Christus pro fundamento posuit, cui reliqua structura Perfectionis imponi debet. Et tunc infunde DEVM omnem Laudem & gratiarum actionem refunde, si tu quoque dicere possis: Omnia custodivi à juventute mea. Et dole, si non possis dicere.

PUNCT. III. *Quare etiam frequenter ex teipso:*

Z 4

Quid

Quid adhuc mihi deest? Nunquam verò, etiamsi nullus violati Præcepti tibi conscius sis, te æstimes comprehendisse, ut cum S. Paulo dicere possis Philipp. 3. v. 13. Fratres ego me non arbitror comprehendisse. Vnum autem, quæ quidem retro sunt, obliviscens, ad ea verò, quæ sunt priora, extendens meipsum, ad destinatum persequor ad Bravium supernæ Vocationis DEI in Christo JESU. Quicumque ergo Perfecti sumus, hoc sentiamus.

MEDITATIO CCCLXXVIII.

Continuatio ejusdem Argumenti.

Matth. 19.

PUNCTUM I. *Ait illi JESVS: Si vis Perfectus esse, vende, vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis Thesaurum in Cælo: & veni, sequere me. Matth. 19. v. 21.* Ex his verbis considera 1. Dignitatem Status Voluntariæ Paupertatis, qui ab ipso Christo Adolescenti Diviti ad Perfectionem deesse dicebatur. Considera 2. ad Statum Voluntariæ Paupertatis præsupponi desiderium Perfectionis. Si ergo elegisti hunc Statum, semper ardeat in te desiderium Perfectionis. Considera 3. Ad Perfectionem non sufficere, omnia deseruisse, & dedisse pauperibus: sed insuper dici tibi à Christo: *Veni, sequere me.* Hunc Ducem ad Perfectionem sequi debes, postquam impedimenta deposuisti.

PUNCT. II. *Cùm audisset Adolescens verbum, abiit tristis: erat enim habens multas possessiones. v. 22.* Sic qui Vocationem suam negligunt, vel qui Perfecti esse nolunt, nec Perfectionem assequuntur, nec in hac